



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. III. Tertia sententia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

teneri hominem post mortale statim conteri, est nimis rigida; multo magis rigida erit hæc sententia, præcipue cum ea retractatio, ut plures docent apud M. Godoy n. 61. fieri debeat per contritionem, aut attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ; & licet daretur, satis esse, ut ea retractatio fieret per mutationem propositi prioris, quo quis infirmari voluit, & per hoc leniretur tantus rigor, adhuc non video necessitatem talis retractationis; assignetur enim præceptum obligans ad eam retractationem, & hæc retractatio gratis ab Adversarijs inducitur, præcisè ut inconveniens objectum solvant, cum tamen, si in oppositam abeant sententiam, nullum sit inconveniens. Si autem non est necessaria; ergo poterit omitti; & tunc redibit argumentum, quod infirmus impotens jejunare ex infirmitate voluntariè contracta peccabit novo peccato. Addo me non videre in sententiâ asserente novum in se peccatum in omissione sacri secutâ ad somnum voluntarium, & in omissione jejuniij secutâ ad infirmitatem voluntariam, me, inquam, non videre ullam utilitatem; nam ex unâ parte sententia hoc asserens convenit cum secunda relatâ, asserente hominem per volitionem somni pravissè impedituri sacrum, & infirmitatis prævisæ impeditur jejuniû quadragesimale contrahere omnem formalem malitiam, ac si in re daretur omisio sacri, & jejuniij: rursus plerique ex Contrarijs negant specialem formalem malitiam inesse operi externo contradistinctam à formali malitiâ volitionis: ex aliâ non satis solvunt inconvenientia contra eos adducta, nempe quomodo contrahatur à dormiente nova malitia formalis per omissionem, & quomodo, stante præcepto naturali obligante sub gravi infirmum ad non jejunandum, peccet voluntariè novo peccato mortali infirmus omittendo jejunium: ergo hæc secunda sententia præferenda est tertiæ, quam mox adduco, & cujus argumenta solvo.

§. III.

Tertia sententia.

SUMMARIUM.

Vult contingentem in somno sacri omissionem tempore instantis præcepti, esse verè peccatum, & non tantum effectum peccati, DD. num.

337.

Idem potest simul esse effectus peccati, & peccatum, ibid.

Hæc tertia non nisi voce differt à secundâ, num.

338.

Præcepta affirmativa ex S. Thom. non obligant ad semper, n. 339.

S. Thom. aperte stat pro secundâ, n. 340.

Omissio sacri est peccatum in volitione somni, n.

341.

Instantia non sunt ad rem, & evidentè retorquentur, n. 342. 343.

Volitio homicidij, & homicidium sunt quasi unum peccatum, n. 344. 345.

Sicut aliud est voluntarium in se, aliud voluntarium in causâ, ita aliud est peccatum in se, aliud in causâ, n. 346.

Tertia sententia est, quod dans causam N. omissioni culpabili peccat peccato omissionis formaliter, & peccato omissionis inchoativè, quoad hoc verum dicit; probavi enim contra primam sententiam peccari per volitionem omissionis culpabilis. Rursus hæc tertia sententia ait, quod omisio contingens in somno tempore instantis præcepti verè imputatur ad culpam, & est verè peccatum, & non solum effectus peccati. Ita in terminis M. Godoy n. 12. qui n. 2. citaverat pro hac sententiâ M. Soto, M. Sylvest. P. Sanch. P. Val. P. Suar. d. 3. de Peccat. sect. 4. n. 1. & alios plures. Verumtamen si hæc sententia velit, quod ea omisio non sit tantum effectus peccati, sed etiam peccatum, quoad hoc etiam verum dicit, nec dissentit secunda sententia; non enim repugnat, ut aliquid simul sit effectus peccati, & peccatum: ita occisio est effectus peccati respectu volitionis eam imperantis, & est simul peccatum; ergo etiam omisio. At non stat in hoc difficultas, punctum enim est, an ea omisio in somno sit peccatum in se, an sit peccatum formale in eadem volitione, ita ut ab hac peccaminosa somni volitione sit tantum in se denominativè peccatum. Hæc autem tertia sententia in solutione argumentorum secundæ sententiæ respondet, ut vidimus, esse tantum peccatum denominativè, & peccatum formale in sui causâ; atque adeo solo nomine differunt, nempe an omisio sacri in somno, quæ est peccatum formale in sui causâ, scilicet in volitione somni impedituri sacrum, sit etiam in se formale peccatum, an tantum denominativè à sui causâ: in quo dubio secunda vult omissionem in somno esse tantum peccatum formale in sui causâ, & esse peccatum denominativè ab eadem causâ, quia imperatur à volitione peccaminosa somni: tertia vult esse etiam peccatum formale in se à sui causâ, quod præterquamquod includit repugnantiam termi-

terminorum, quod aliquid sit peccatum tantum denominativè, hoc enim importat tō a sui causa, & simul sit peccatum formale, hoc enim importat tō in se; tandem Adversarij convincuntur argumento sumpto ex libertate, quod sicut ea omisso non est libera in se formaliter, sed tantum denominativè a sua causa, ita etiam non est peccatum formale in se, sed tantum denominativè a sui causa; & ut dicto argumento Contrarij occurrant, dicunt, esse peccatum denominativè a sui causa.

N.
339.
S. Th.

Objicies primò ex S. Thom. 2.2. qu. 79. art. 3. ad 3. qui ait: *Dicendum, quod sicut peccatum transgressionis opponitur præceptis negativis, quæ pertinent ad declinandum a malo; ita peccatum omissionis opponitur præceptis affirmativis, quæ pertinent ad faciendum bonum; præcepta autem affirmativa non obligant ad semper, sed ad tempus determinatum; & pro illo tempore peccatum omissionis incipit esse: potest tamen contingere, quod aliquis sit tunc impotens ad faciendum, quod oportet; quod quidem, si sit præter ejus culpam, non omittit, quod debet, ut dictum est. Si vero sit propter ejus culpam præcedentem, puta, si aliquis de sero se inebriaverit, & non potest surgere ad matutinas, ut debet, dicunt quidam, quod tunc incipit peccatum omissionis, quando aliquis se applicat ad actum illicitum, & impossibilem cum isto actu, ad quem tenetur. Sed hoc non videtur verum, quia dato quod existeretur per violentiam, & iret ad matutinas, non omitteret. Unde patet, quod præcedens inebriatio non fuit omisso, sed omissionis causa. Unde dicendum est, quod omisso incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex qua omisso sequens redditur voluntaria. Hæc S. Thom. Ergo omisso contingens in somno tempore instantis præcepti verè imputatur ad culpam, & est peccatum.*

N.
340.

Respondeo S. Thomam stare apertè pro secunda sententia, nam eo ipso quod dicit, *Omiso tunc incipit ei imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi, & asserit esse voluntariam omissionem ob causam præcedentem, eo ipso expressè dicit, quod omisso sit culpa imputabiliter; à quo autem, nisi à causa præcedenti? ergo eo ipso docet omissionem sacri secutam ad ebrietatem, aut somnum voluntarium, esse peccatum, & culpam in ipsa causa, & ab ea imputari ad culpam, adeoque non esse culpam in se. Adde duo distinguenda esse: primum est volitio efficax omittendi sacrum interposito somno, ejusque actualis omisso; secundum est volitio efficax omittendi sacrum interposito somno, ad quem tamen non sequitur ipsa omis-*

sio, quatenus qui omittere voluit, suam volitionem retractavit per volitionem audiendi, immò per sacri auditionem. Certum autem est primò utrumque hominem in volitione efficaci omittendi esse æqualem, & utrumque peccasse. Certum secundo esse etiam inter se inæquales, si unus omittat, alter non omittat; atque adeo ei, qui omittit, præter peccatum volitionis omittendi imputari omissionem; non ita alteri, qui voluit omittere, at volitionem retractavit, & sacrum non omisit. Ex hoc autem non sequitur omissionem in omittente esse peccatum in se, ut enim non est libera in se, sed in volitione somni, ita nec est peccatum in se, sed in volitione peccaminosa somni: rursus sicut ea omisso est tantum in se denominativè libera à volitione libera somni, ita eadem omisso est tantum in se denominativè peccatum à volitione peccaminosa somni. Certum tertio omissionem quoad esse peccatum denominativè, non imputari ad culpam, seu non esse denominativè culpam, nisi cum ea omisso ponitur; debet enim esse prius in re suo modo, quam denominetur culpa; sed ea omisso sacri non est in re, nisi cum instat præceptum: ergo nec denominari potest culpa, nisi cum instat, & violatur præceptum. Et hoc est, quod acutè dixit S. Thom. quod omisso incipiat imputari ad culpam, quando fuit tempus operandi; quatenus ea omisso ante tempus operandi, seu audiendi sacrum non erat in esse omissionis sacri, sed potius erat negatio sacri, quia adhuc non instabat præceptum; atque adeo incipit esse omisso, & quidem culpabilis, dum instat præceptum denominatione culpe derivatà à volitione, quæ volitio non potuit dare omissioni denominationem culpe, nisi dum omisso cœpit esse; cœpit autem esse, dum cœpit urgere præceptum.

N.
341.

Objicies secundo: *Ut aliquid sit verè peccatum, satis est, ut sit voluntarium in causa, licet posita causa illud sit inevitabile: sed omisso sacri contingens in somno est voluntaria in causa, ut supponitur: ergo, licet posita ea causa, seu somno vitari non possit, ea omisso est verè peccatum. Maior probatur, tum paritate ebrij, non enim ipsa tantum nimia vini potatio est peccatum, sed ebrietas ad eam sequens est verè peccatum, etsi posita immoderata vini potatione ebrietas sit inevitabilis; tum paritate occidentis, non enim sola plumbei globi emissio est peccatum, sed ipsa etiam occisio, licet hæc sit inevitabilis posita ea emissionem; tum paritate projicientis Breviarium, non enim sola projectio, sed ipsa non recitatio pensæ diurnæ est*

N.
342.

pecca-

peccatum, etsi posita ea projectione inevitabilis sit non recitatio: ergo ut quid sit verè peccatum, satis est, ut sit voluntarium in causa; & ideo in Confessione non tantum causam peccati, quin potius effectum ipsum, seu ebrietatem, homicidium, non recitationem, tamquam peccata, ut reverà sunt, aperimus: ergo tales effectus sunt verè peccata.

N. 343. Respondeo 1. paritates non esse ad rem; nam nimia potatio, globi emissio, Breviarii projectio procedunt ab homine sibi composita, & libero: contra omisso sacri ab homine dormiente, seu carente pro tunc omni libertate; tum quia nimia potatio, & ebrietas; emissio globi, & homicidium; projectio Breviarii, & non recitatio, etsi physicè se habeant ut causa, & effectus, moraliter tamen loquendo, sunt unus, & idem effectus respectu volitionum imperantium eam projectionem, potationem, emissionem; immò volitio homicidij, & homicidium; volitio non recitationis, & non recitatio; volitio ebrietatis, & ebrietas sunt unum integrum peccatum; adeoque nemo dubitat contendendam esse non tantum ipsam volitionem ebrietatis, homicidij, non recitationis, sed principaliter confiteri tenemur ipsam homicidium, ebrietatem, & non recitationem, cum ipsa horum objectorum volitiones eatenus sint peccatum, quatenus hæc ipsa objecta sunt verita, & ipsa volitiones speciem sumant a suis objectis.

N. 344. M. God. Respondeo secundò paritates evidenter retorqueri: Fac enim, ut quis mari iter agens projiciat hodie Breviarium, prævidens eo instanti projectionis se toto anno non recitaturum Officium; peto ab insigni M. Godoy, an ille singulis noctibus ejusdem anni gravi somno correptus, dum horà undecimā noctis obligatio recitandi instat, an, inquam, homo ille dormiens, novo peccato formali peccet per puram Officij omissionem? Sanè quid incredibile dicet, si dicat volitionem hodiernam illius hominis perseverare moraliter per integrum annum, etiam dum dormit: ergo singulae omissiones per annum continuatæ non sunt novum peccatum formale in se, sed sunt purè denominativè peccatum à volitione peccaminosa hodiernā, quā pro-

jiciendo Breviarium se reddidit impotentem; ita ut illæ omissiones sint formaliter peccata in sua causa, & ratione hujus impotentur ad culpam formalem; in se autem non sunt peccata formalia, nisi sint libera in se, & ad summum sunt in se denominativè peccata à causa præteritā liberā. In formā distinguo maiorem: Vt aliquid sit verè peccatum in se, & ratione sui, satis est, ut sit voluntarium in causa, nego maiorem; ut sit peccatum non ratione sui, sed ratione causæ, satis est, ut sit voluntarium in causa, concedo maiorem. Ad reliqua patet.

N. 345. Objicies 3. Vt omisso sit verè peccaminosa, & voluntaria, satis est, quod ab interiori peccato procedat; sed quando in somnis contingit, procedit ab actu peccaminoso voluntatis moraliter perseverante, quia non retractato; ergo ea omisso est verè peccaminosa. Distinguo maiorem: Vt omisso sit peccaminosa in se, satis est, ut ab interiori peccato procedat quomodocumque, nego maiorem; requiritur enim, ut proximè ab illo procedat, & sit quasi unum cum illo: ita volitio homicidij, & homicidium ipsum sunt quasi unum peccatum, nec mediat inter volitionem, & homicidium, nisi jaculatio, seu occisio; actio autem, ut docet vera Philosophia, non tollit immediationem inter causam, & effectum, nam mediat ut quo, non ut quod; est enim id, quo producit effectus: satis est, ut proximè procedat, concedo maiorem. Vel aliter: Vt omisso sit verè peccaminosa, & voluntaria, satis est, quod ab interiori peccato procedat; id est, satis est, ut sit voluntaria, & peccaminosa in ipso peccato interiori, nego maiorem; aliter, transeat maior: ad reliqua patet. Itaque tota nostra doctrina ad hoc reducitur, nempe, quod sicut aliud est voluntarium in se, aliud in causa; ita aliud est peccatum in se, aliud in causa: & sicut voluntarium in causa non est voluntarium in se, nam mala esset divisio voluntarij, si voluntarium in causa esset voluntarium in se; ita peccatum in causa non est peccatum in se, sed ad summum peccatum in causa est denominativè peccatum in se ab ipsa causa; non autem peccatum in causa est peccatum formale in se ratione sui.